Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25938
Copyright: Admont, Benediktinerstift



dis celum 7 terram. in septimo a opere cessauit. Dixitque quoque dominus moysi cõpletis huiuscemodi sermonibus in mõte synai duas tabulas testamenti lapideas scriptas digito dei.

XXXII

Videns autem plebs quod moram faceret descendendi de monte moyses. congregatus aduersus aaron ait. Surge fac nobis deos qui nos precedant. moysi enim huic uiro qui nos eduxit de terra egypti ignoramus quid acciderit ei. Dixitque ad eos aaron. Tollite inaures aureas de uxorum filiorum que et filiarum uestrarum auribus 7 afferte ad me. Fecit plebs que iusserat deferens inaures ad aaron. Quas cum ille accepisset formauit opere fusorio 7 fecit ex eis uitulum conflatilem. Dixeruntque. Hii sunt dii tui israel qui te eduxerunt de terra egypti. Quod cum audisset aaron edificauit altare coram eo 7 pconis uoce clamauit dicens. Cras sollempnitas domini est. Surgentesque mane obtulerunt holocausta et hostias pacificas. Et sedit plebs manducare et bibere et surrexerunt ludere. Locutus est dominus ad moysen dicens. Vade descende. peccauit plebs tua quem eduxisti de terra egypti. Recesserunt cito de uia uertitatis quam ostendisti eis. fecerunt sibi conflatilem uitulum 7 adorauerunt atque immolantes ei hostias dixerunt. Isti sunt dii tui israel qui te eduxerunt de terra egypti. Rursumque ait dominus ad moysen. Cerno quod plebs iste dure ceruicis sit. dimitte me ut irascat furor meus contra eos 7 deleam eos. faciamque te in gentem magnam. Moyses autem orabat dominum deum suum. dicens. Cur domine irascitur furor tuus contra plebem tuam quem eduxisti de terra egypti in fortitudine magna. 7 in manu robusta. Ne quaeso dicant egyptii callide eduxit eos ut interficeret in montibus 7 deleret de terra. quiescat ira tua et esto placabilis super nequitia plebis tui. Recordare abraham ysaac et iacob seruorum tuorum quibus iurasti per metipsum dicens. Multiplicabo semen uestrum sicut stellas celi et uniuersam terram hanc de qua locutus sum dabo seminibus uestris. 7 possidebitis eam semper. Placatus est dominus ne faceret malum quod locutus fuerat aduersus plebem suum. Et reuersus de monte portans duas tabulas lapideas testimonii in manu. scriptas ex utraque parte et factas ope domini. Scriptura quoque dei erat sculpta in tabulis. Audiens autem iosue tumultum plebis uociferantis ait ad moysen. Vulnerati pugne audiuntur in castris. Cui respondit. Non est clamor adhortantium ad pugnam neque uociferantium compellentium ad fugam. sed uocem cantantium ego audio. Cumque appropinquassent ad castra uidit uitulum 7 choros irato que ualde. proiecit de manu tabulas et confregit eas ad radices montis. arripiensque uitulum quem fecerant combussit et contriuit usque ad puluerem. quem sparsit in aqua. 7 dedit ex eo potum filiis israel. Dixitque moyses ad aaron. Quid tibi fecit hic populus. ut induceres super eum peccatum maximum. Cui ille respondit. Ne indignetur dominus mihi. Tu enim nosti plebem istam quod prauus sit ad malum. Dixerunt mihi. fac nobis deos qui precedant nos. huic enim